

81 Da 112

IN APOCALYPSIM D. IOAN. APOSTOLI COMMENTARIIS ALFONSI CONTRADI MANTVANI.

APOCAL. I.

Beatus qui legit & audit uerba prophetiae libri huius, & seruat ea quae in ea scripta sunt.



90

*Sum Joannis de Ruinallio. 1631.*

BASILEAE, APVD PETRVM PERNAM. M. D. LX.

*Joanis Pontifella. Nunc uero Joannis Benifacy.*

1576

ferre possem. Sed cum hoc mihi non daretur, quæ mea in hoc exilio tenuitas est, eos tantum consului, qui mihi forte fortuna ad manus erant: hi autem sunt, Sebastianus Meyer, vir quidem meo iudicio doctè pius, & anti-christianæ abominationis insectator acerrimus, Cælius Panonius, & alius quidam manu scriptus, nec præter istos & Laurentij Vallensis & Erasmi annotatiunculas quasdam, quippiam in Apocalypsim vidî. Sed cum ad finem huius mei laboris peruenissem contigit, vt magnus ille vir atq; admodum de Christiana Republ. benemeritus Henricus Bullingerus, suam in hunc librum prælectionem ediderit. Quæ res effecit, vt videre videar, fratres mihi consulturos, vt meam potius suppressendam quam imprimendam procurem, quòd omnem meam post ipsum lucubrationem facile iudicent superuacaneam esse, quicumq; norint qualem se gesserit vir ille in totius noui Testamenti enarratione. Quod sanè consilium, vt omnino à Christiana veritate proficisci confido, ita quam libenter admitterem, si huc in meis lucubrat

cubrationibus spectassem, vt ex his aliquid nominis apud eruditos mihi accederet: sed cum nihil aliud inde quæram, quam vt hi fratres qui meam ex me confessionem non audierunt, eam ex his meis petere possint, non video quid mihi obstet Bullingeri eruta in hunc librum enarratio. Maluissem quidem hanc meam confessionem feliciori phrasi & eruditione fratribus exhibere, sed cum id mihi non liceat, non aspernentur obsecro meam balbutiem & ineptiam, sed boni consulant quicquid iuxta Domini benedictionem in eius tabernaculum offero. Nec difficile fore confido, vt fratres sint eius erga me candoris, vt & si deprehenderint quædam minus appositè dicta, facile mihi sint ignoturi, modò tamen ab omni impietate & absurditate procul absint. Quorum si vel per nebulam deprehenderint vestigium aliquod in his meis contineri, tantum abest, vt velim ipsos meis erratis conuiuere, vt etiam beneficij loco repositurus sim, si me aمانter correxerint. Hoc vnum forte nonnullorum auribus offendiculo erit, quòd videar vberiore pacem Eccle-

326 IN APOC. ALFON. CONTR.  
tis regno vt omnem Satanæ rabiem in eos exo-  
rat, qui Euangelium profitentur, tum facile ap-  
paret qui sincerè & fideliter Christo adhareat,  
& qui verbis tantùm illius doctrinam osten-  
rent. Nam sicut plumbum & cuprum urgente  
maximo igne, citius dicto liquefunt: ita qui  
non admodum Christo affixi sunt, urgente gra-  
uissima illa afflictione, quam Satan mouet ad-  
uersus Euangelium, perinde ac metalla vilissi-  
ma liquefunt, & à Christo fœdissimè deficiunt.  
Contra verò, sicut aurum electum & proba-  
tum quanto magis in igne moratur, tanto pre-  
tiosius & excellentius ostenditur, ita fideles  
& Christi spiritu suffulti, quanto magis affli-  
ctionum igni exponuntur, tanto excellentio-  
res & ab omnibus impietatis fœcibus purio-  
res ostenduntur. Ingruente igitur igne illius  
maximæ afflictionis, & omnium quæ vnquam  
fuerint horribilissimæ persecutionis, quam in  
Euangelium excitant inferorum portæ, non  
opus est verbis & ficta vacillantiq; fide, quæ  
velut arundo circumferatur omni vento, sed  
patientia illa, quæ sanctis & electis Dei in ma-  
ximo afflictionum igne spiritus Christi sub-  
ministrat. Tum enim manifesti fiunt, qui ex  
calice Domini merum an mixturam biberint,  
& quibus afflictiones & Antichristi horribi-  
les insultus sint, vel salutis vel desperationis  
ocasio.

12 Et audiui vocem de cœlo dicen-  
tem mihi, scribe: Beati mortui qui in do-  
mīno moriuntur, A modo iam dicit spi-  
ritus,

COMMENT. CAP. XVIII. 327  
ritus, vt requiescant à laboribus suis: o-  
pera enim illorum sequuntur illos.

Quia in tam horrendis afflictionum turbi-  
nibus, quas in ecclesia magis ac magis in dies  
excitari palàm est, poterant fideles omnino ter-  
reri, adeoq; animum despondere: ad ipsorum  
consolationem audit Ioannes vocem de cœ-  
lo, & magna spiritus virtute impellitur ad hu-  
ius doctrinæ promulgationem, quòd afflictio-  
nes illæ, quas aduersus Euangelij professores  
excitat mundi tyrannis, non sunt admodum  
formidabiles: quippe quæ tantum abest, vt pos-  
sint illos infelices reddere, vt etiam per illas ad  
æternam salutem via paretur. Scribe, inquit,  
& hanc doctrinam futuris quoq; seculis com-  
menda, quòd qui moriuntur in domino, & in  
confessione veræ fidei permanentes, malunt  
per omnia tormentorū genera trucidari, quàm  
impietati & Papiasticæ abominationi subscri-  
bere: sunt omnino beati, & ipsorū mors quan-  
uis impio mundo abominabilis, pretiosa ta-  
men est in conspectu domini. Nec est hæc do-  
ctrinam humanum figmentum, sed spiritus san-  
cti reuelatio, qui certissimè testificatur eis, qui  
sic in domino moriuntur, vt nec poenarū me-  
tu, nec mortis horrore à veræ fidei confessio-  
ne desistant, pro laboribus & ærumnis, quas  
hic ab impijs ad breue tempus patiuntur, pa-  
ratam esse æternam requiem. Quæ sanè requies  
illis nequaquam indignè continget, cum eos  
in illa requie secutura sint opera, quæ hic ex  
vera in Christum fide laudabiliter gesserunt:  
quæ & si non fuerint adeò perfecta, vt merean-

*Scribe.*

*Qui in dno  
moriuntur.*

*Psal. 116*

*Opera quæ  
murius co-  
mi te imp.*